



## **Svmma Juris Canonici**

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,  
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,  
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium  
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,  
discussa, & explicata

**Strein, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1658**

XXXVII. Differentia 10. Si quis emit rem aliquam meâ pecuniâ, sed suo  
nomine, secundùm leges habet jus in illa:

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

## XXXVII.

## DIFFERENTIA 10.

*Si quis emit rem aliquam meâ pecuniâ, sed suo nomine, secundum leges habet jus in illa: l. Si ex pecunia, C. de rei vendic. l. Qui vas, ff. de furt. At secundum Canones, si res empta sit pecuniâ fœnebrî, vendi, & restituâ pecunia debet, c. Cùm tu s. de usur. Idem est, si alienâ pecuniâ res empta sit, c. Non est putanda 1. q. 1. Bartol. 127.*

I. Quid in l. Ex pecuniâ, C. de rei vendic. continetur, in l. 1. C. Si quis alteri vel sibi, melius exprimitur. Si pecunia patris fundus, & mancipia comparata sint matris tuæ nomine, factâ traditione matrem tuam dominam esse constitutam scias. Et l. 8. eod. Qui aliena pecuniâ comparat, non ei, cujus numini fuerit. Sed sibi iam actionem empti, quàm dominium, si ei tradita fuerit, possessio quærit. Nec interest, pecunia iuste vel iniuste parta sit. Rationem dant, quia res sic empta fructus industriæ censetur, non pecuniæ, quæ per se sterilis est. Medina q. 10. de rest. 5. Notanter. Sylv. v. emptio, n. 25. Pe. Navar. l. 4. c. 1. n. 6. Molin. disp. 329. Azor. III. l. 8. c. 26. q. 5. Jus. c. 20. Dub. 18. n. 29. Bonag. Tom. 11. pag. 498. n. 29.

II. Excipe 1. si quid emptum est pecuniâ Ecclesiæ. Tunc enim ipsi, & non alteri acquiritur dominium, c. 1. & 2. 12. q. 3. & c. Fixum 12. q. 5. 2. emptum pecuniâ pupilli, vel minoris à matre, vel curatore, sit ipsius pupilli vel minoris. Hostiens. in sum. de empt. s. ult. 3. similiter quod pecuniâ militis emitur, ipsius fit,

l. Si, ut proponit, C. de rei vendic. Denique emptum pecuniâ donatâ ab altero conjugè, sit illius, cujus est pecunia, l. Vxor marito, ff. de donat. inter vir. & ux. Hæc ita limita, ait Sylvester, quando pecunia non fuit alteri mixta. Nam si mixta fuerit, res empta transibit in dominium etiam furis, l. Si alieni nummi, ff. de solut.

III. Juris Canonici sensum in c. Cùm tu manifestos, Alexander III. exponit: Possessiones, quæ de utris comparatæ sunt, debent vendi, & earum pretia his, à quibus usuræ sunt extortæ, restitui, ut sic non solum à pœnâ, sed etiam peccato possint liberari. In c. Non est putanda, eod. dicitur de illicitis rebus & malè acquisitis non posse elemosynam fieri: quod limitat Glossa, quando dominium non est translatum, vel, quæ in elemosynam dantur, sunt obnoxia restitutioni, ut contingit in usurario, & latrone. Quid autem, si de pecuniâ Simoniacâ fundata Ecclesia est? R. Glossa. Non demolietur, c. Comperimus 14. q. 6. sed læsis Ecclesiæ præfides satisfacere studebunt.

XXXVIII. DIE: